



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Avenionense, Contra Nicolavm V. Antipapam eiusque errorem
celebratum tempore Ioannis papae XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1324.

JOANNES P. XX. TOLETANVM. LUDOVICVS BAVARVS IMP.
ALPHONSVS XI. R. CASTELLÆ. II⁷

consilio proprii confessoris duxerint abstinentum.

VIII.

Quamvis contra illos qui cum Sarracenis mercimonium habuerint, vel eis aliqua rerum subsidia seu consilia per se vel alios quocumque ingenio, quamdiu inter nos & ipsos guerra durauerit, impendenda duxerint, sint a Canone excommunicationis * sententia promulgata. Quidam tamen Christiani peruerso verba dicti Canonis intelligentes, & quærentes in eis folia & non fructus, non verentur tempore dictæ guerræ ipsis Sarracenis ad terram eorumdem Christianorum venientibus vel mittentibus victualia vendere, & alia rerum subsidia impendere, credentes ex quo non vadunt, nec mittunt ad dictos Sarracenos, a sententia ipsius Canonis excusari. Nos vero peruersum intellectum & crudelitatem eorum penitus reprobantes, declaramus & volumus ipsos qui prædicta faciunt vel committunt, incurrere sententiam Canonis supradicti, quem Canonem simul cum hac nostra constitutione specialiter in cathedralibus & parochialibus ecclesiis eisdem Sarracenis vicinis frequenter præcipimus publicari.

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
1327.

CONCILIVM AVENIONENSE,
CONTRA NICOLAVM V. ANTIPAPAM
eiusque errorem celebratum tempore
Ioannis papæ XX.

NOTA.

* *Concilium.*] Nicolaus V. Petrus Corbariensis antea nominatus, ordinis Minorum, contra Ioannem XX. (quem Ludouicus IV. accrime oderat) studio & opera eiusdem Ludouici antipapa creatus

P iii

fuerat. Qui cum præter schismata ecclesiæ illatum, publice doceret Iesum eiusque discipulos adeo pauperes semper fuisse, ut nihil vñquam neque in commune, neque priuatim habuissent, indicatum est hoc Concilium, quo antipapam iure meritoque condemnauit, erroremque eiusdem sacrae scripturae contrarium refutauit. Tempore vigesimi primi schismatis, inquit Marius capite vigesimo primo lib. de schismatibus & Concil. per Joannem XXII. Auenione Concilium est institutum contra Petrum Corbariensem ordinis Minorum, antipapam creatum a Ludouico Bauaro. Is vero alio Concilio in Italia indicto, Joannem XXII. hereticum declarauerat, defendens Jesum eiusque discipulos adeo pauperes fuisse, ut nihil neque in commune, neque priuatim habuissent. Id quod in predicto Concilio Auenionensi etiam refutatum est. Hæc ex Ioanne Mario.

Confuse
quæ supra
dixi in Be-
nedicto X.

VITA ET EPISTOLA
BENEDICTI PAPÆ XI.
VVLGO XII.

ANNO
CHRISTI
1344.

BENEDICTVS XI. qui nomine pristino dictus erat Jacobus Tolosanus, ex ordinis Cisterciensis cardinale, die post obitum Ioannis decimo sexto ad pontificatum electus est, decimo tertio Kalendas Ianuarii, anno 1334. regnante Ludouico IV. imperatore. Initio sedis sua censuras contra eundem Ludouicum Bauarum a praedecessore latas non tantum confirmauit, verum etiam imperialem dignitatem tamquam vacantem, & ad se velut ad Christi vicarium deuolutam, eidem abstulit. Interim ne Italia externo hosti pateret, multos proceres Italiam in urbibus quas possidebant, sedis apostolicae vicarios creauit. Romanis per legatum persuasit, ut senatoriam dignitatem, quam diu regio nomine gesserant, suis tandem & ecclesiæ auspiciis administrarent. Sanctorum animas a peccatis suis sufficienter expiatas ante diem iudicij beatas esse, Deique clara visione frui definiuit. Unica ordinazione sex cardinales, viros virtutibus ornatisimos, creauit. Omnibus modis regem Franciæ cum Anglo conciliare studuit; sed frustra. In rebus honestis & iustis constantissimus perficit; bonos amore complexus, improborum voluntati & conatibus, quantum fieri potuit, repugnat. Septem annis, tribus mensibus & septemdecim diebus pontificatu functus, obiit Auenione septimo Kalen-